

BEATISSIMA VIRGO MARIA,
Imago Dei et SS. Trinitatis


IUXTA MENTEM

D. THOMAE DOCTORIS ANGELICI.


AUCTOR

fr. P. C. VAN DEN BERG.


ord. Praedic.
S. Th. Mag., studii Regens in Coll. Huiss.



PROSTAT BUSCODUCI,
APUD G. MOSMANS, BIBLIOPOLAM,
1874.



Beatissima Virgo Maria.



Kath 44
135

BEATISSIMA VIRGO MARIA, Imago Dei et SS. Trinitatis

IUXTA MENTEM

D. THOMAE DOCTORIS ANGELICI,

AUCTOR


fr. P. C VAN DEN BERG. ^{D.P.}

ord. Praedic.

S. Th. Mag., studii Regens in Coll. Huiss.

Beata Virgo quasi tota repleta fuit Divinitate. S. Th. in Matth. C. I.

Hanc, Domine, fecisti imaginem bonitatis tuae. S. Th. opuse. LIV. Ed. Parm.



PROSTAT BUSCODUCI,
APUD G. MOSMANS, BIBLIOPOLAM,
1874.

IMPRIMI PERMITTIMUS.

CHR. H. TIELENS, ORD. PRAED.

Prior Prov.

IMPRIMATUR.

J. H. WENSING.

Emer. Prof. Libr. Cens.

DOCTORI ANGELICO.

Mirifica profecto, Gloriosissime Doctor! et fausta illa dies, qua ad pedes Crucifixi provolutus, anxius, ne forte in scriptis Tuis irrepsisset aliquis error, audire meruisti, sonuitque in auribus vox dulcis: »Bene de me scripsisti, Thoma! quam ergo mercedem accipies?» Et candide respondisti et confidenter: »Non aliam nisi Te Domine!»

Sex hodierna die, Gloriosissime Doctor! saecula effluxerunt, quibus hac mercede, Deo Tuo frueris, quibus revelata facie gloriam Domini specularis, in eamdem

transformatus imaginem vides Eum, »sicuti est, non sicuti facit,” Ipsum non mediante aliqua specie creata, sed facie ad faciem, lætitia inenarrabili contemplaris.

Sex iam saecula effluxerunt, quibus in sublimi illa, ignota nobis, mentis quiete, ad instar crystalli, Divinitatis radiis splendidus, summa Divinae dulcedinis abundantia perfrueris. Mirabili luce circumfusus, stas medius inter Ecclesiae Patres et Doctores, omnium SS. Patrum et Doctorum SUMMA. Ipsum Deum sese contemplantem, ex ipsissimis Tuis verbis proxime imitaris: »Visio, qua Deum per essentiam videbimus, est eadem, qua Deus se videt ex parte eius quo videtur, quia, sicut Ipse se videt per essentiam suam, ita et nos videbimus Eum.”

Cogitanti mihi, Sanctissime Praeceptor! quid solemni
hac die offerrem, nihil occurrit, quod, tanta oblata
festivitate, digne Tibi possem exhibere. Quid ergo?
Tacebo, et veluti discipulus degener itane ingratitudinis
notam conabor effugere? Absit. Probe enim convi-
ctus, nec Te »aera minuta duo“ spernere, me ad opus
accinxi. Serio igitur animo sæpe perpendens de mate-
ria tractanda, in hanc deveni sententiam, scribendi
opusculum, in quo mentem Tuam relate ad Beatissimam
Virginem Mariam, prout est Dei et SS. Trinitatis imago,
in quantum ex operibus Tuis potui colligere, pro viri-
bus exponerem.

Nec ingratum Tibi hunc fore laborem confido. In
illo enim vivimus Ordine, qui singularem Virginis de-

votionem nullo non tempore professus, hanc veluti
sui tesseram sacraeque militiae vexillum perpetuo habuit
suisque commendavit. Eam in maximis angustiis et
periculis præsentissimam experti sumus patronam, eius
nomine et simplicia et solemnia nuncupamus vota,
illam in supremæ vitae agone, fratribus iamiam mori-
turis adprecari consuevimus, ut nempe adsit, animae-
que abeunti dulcissimum ventris sui fructum ostendere
dignetur. Eius denique gloriam, virtutes, dignitatem
iubemur totis viribus, ingenio, conamine praedicare,
adeo ut nemo verum S. Dominici filium sese con-
fidat, qui non in Virginem Beatissimam filiali exaestuet
dilectione, nec paratus sit, ipsam vitam pro eiusdem
honore profundere.

Accedit non parum, quod Mariae praesidiis et auspicio flores illos pulcherrimos pietatis et sapientiae progerminasse credimus, qui mira fragrantia ac venustate Ecclesiam decorarunt universam. Tu imprimis, Sanctissime Doctor, ex hoc veluti fonte sapientiae rivulos potasse dicendus es, dum infantulus chartulam, angelica salutatione inscriptam avide deglutisti. Te siquidem ab ipsis cunis in filium adoptaverat Deipara, atque iam aeternae sapientiae devoverat amoribus, ut esses aliquando clarissimum Ecclesiae lumen et firmamentum, Ordinis Tui decor et splendor, toti mundo eruditionis et doctrinae prodigium.


Neque medum, quo B. Virginem in hoc opusculo consideravi, Tibi displicere spero. Disputationem scripsi

principiis Tuis philosophicis et Theologicis conformem. Essentiam divinam omnium rerum ideam esse et primum exemplar, saepe docuisti. Est haec doctrina totius philosophiae basis et vitae principium. »Tanta vis in ideis constituitur», iam scripsit S. Augustinus, »ut, nisi iis intellectis, sapiens nemo esse possit.” Vi huius principii omnia, quaecumque sunt, Deum aliquo modo imitantur, repraesentant; eminentius quidem homo, qui non solummodo vestigium, sed Ipsius Dei et SS. Trinitatis imago est.

Haec sunt, Sanetissime Praeceptor! quae toties veluti certa inculcas, veluti evidenter toties supponis. Haec latius exponere, explicare, illustrare, et, in quo praesertim versatus sum, in ordine ad B. V. Mariam

ex Tua doctrina applicare, huius opusculi scopus. Tibi
hoc, quocumque sit, offero, dico, dedico. Aequum
est, ut, ex quo prosilit fonte, ad eum revertatur.

Et si quid mihi, Gloriosissime Doctor! hac die
solemni petere, si quae desideria, Sanctissime Praece-
ptor! discipulo liceat ad Te dirigere, verba redderem
alterius discipuli: »Obsecro te, Pater mi, fiat in me,
inquantum possibile, duplex spiritus tuus.”



C A P U T P R I M U M.

ARTICULUS UNICUS.

Essentia divina in omnibus creaturis repraesentata.

Ne quis miretur, si in quaestione Theologica tractanda a philosophica exordiamur: valde affines sibi sunt et philosophia et Theologia. Sibi invicem opem conferunt, se mutuo confirmant. Theologia philosophiam, sicut gratia naturam, praesupponit. Ab hac ad illam paratur via; illa non destruit, sed perficit, elevat philosophiam. Est inter illas certus ordo, relationes plurimae, cum utraque ab eadem habeat causa originem, ex eodem fonte simplicissimo dimanet. Non quae inter eas dignior sit, quae certior quaerimus: de mutuo influxu, amico foedere sociandis heic sermo. Ipse Praeceptor noster Angelicus, cuius vestigia premere, quantumvis indigni, et exponere doctrinam pro modulo nostro nitimur, plurimis permixtam philosophicis quaestionibus Summam tradidit Theologicam, et non paucis interie-

ctis quaestionibus Theologicis Summam philosophicam nobis procuravit. Et haec ordine quidem mirabili. Hinc conciliatio illa et concordia tum inter fidem et rationem tum inter rationem et fidem, quae in utraque Summa elucet: ita quidem ut in singula quasi quaestione ea, quae sunt rationis, per fidem confirmet; quae sunt fidei, per rationem, quo possibile est modo, probare et illustrare cernatur. Cum igitur Theologia supponat philosophiam, ab hac ordiamur.

Inter quaestiones philosophicas haec supereminere videtur fondamentalis: utrum existat aliquod numen supremum, totius universi causa prima. Alii, et multi quidem negant impudenter, summam rerum independentiam, atheismum, proclamantes. Alii illud numen cum universo ita confundunt, ut putidum pantheismum, hinc et ipsum atheismum inducant. Viam medium incedit Doctor noster Angelicus: Deum inter et creaturas summam stabilit et dependentiam et unionem, sed et distantiam infinitam; summam dependentiam, ratione creationis; summam unionem, ratione conservationis; distantiam denique infinitam, natura enim infinita et finita necessario distant infinite. Ipsam divinam essentiam omnium rerum ideam ponit et exemplar, ideam vero analogicam, non pantheisticam; exemplar, ad cuius imitationem condita sunt omnia; ideam in ordine ad executionem creationis et ad modum, quo executioni

data est creatio, liberam omnino, non necessariam; ideam omnium et singulorum; ideam hominis, considerati in sua natura, in gratia et gloria specialem; ideam tandem Beatissimae Virginis Mariæ omnium eminentissimam, — et hoc ostendere huius opusculi scopus.

Ad hanc thesin rite praeparandam et stabiendum, duo inter principia S. Doctoris prænotanda esse videntur: 1. *Deus est actus*; 2. *quidquid extra Deum existit ex se potentia est*. (1) Sonent hæscholastice, si ita placet horride, consideranti et attente perpendenti verissima sunt; saepissime ea inculcat S. Thomas, centies innuit ac supponit. *Deus est actus* i. e. perfectio, actus purus, purissimus, i. e. perfectio infinita, cui nihil addi potest, quia est ens a se, ens per essentiam, in quo omnis residet et plene et perfecte essendi plenitudo. Dico *omnis*, et hinc infinita essendi plenitudo. A quo Deus limitaretur? Non a se, quia non dedit sibi esse, ergo nec *tale* esse; non ab alio, quia est omnium causa prima. Profunde et vere S. Doctor: (2) »Nulla de perfectionibus potest deesse ei, quod est ipsum esse subsistens.” Deus est ipsum esse. Deum audiamus, seipsum defi-

(1) Directe opposita principiis modernis: *quidquid extra Deum est, est actus*; 2, Deus est in potentia, *Gott ist im Werden*, ita Hegel.

(2) S. Th. I. qu. IV. a. 2 ad 3.

nientem: (1) «sum, qui sum.... qui est.” Quodcumque nomen Deo tribuatur, imperfectum est, maxime proprium: ”qui est,, (2) *Qui est* notat plenitudinem pelagusque essendi, pelagus substantiae infinitum et interminatum; *qui est* immensam dicit perfectionis plenitudinem, dicit omnium apicem et centrum, quia nihil determinat et omnia includit. Ille, *qui est*, est in rebus et extra res, infra, supra et circa omnia; quinimo *qui est* illabitur inter terminos omnium rerum, quin cum ipsis confundatur: »intrat in omnium essentiam, qui dat omnibus esse.” (3)

His notatis, facile eruitur sensus principii supra citati: *quidquid extra Deum existit, ex se potentia est*, i. e. non per se existit sed potest existere, ope nempe illius, qui a se est. Cum esse divinum sit tota essendi plenitudo, creaturarum esse non est nisi umbra esse divini, imperfecta participatio, et quasi vestigium, exemplaris suo modo imitativum. Ens participatum, limitatum, imperfectissimum, cui vera quidem competit in suo ordine ratio entis, dependens tamen ab esse divino veluti a sua origine et idea, a suo exemplari: hinc essentialiter, specifice et generice, ab illo differt. Ipse

(1) Exod. III. 14.

(2) S. Th. I. qu. XIII. a. 11.

(3) D. Th. 2. Sent. Dist. 8 qu. 1. a. 5. ad 3.

enim, *qui est*, est esse suum absolutum et independens; omnia alia, si dant esse, id præstant divina virtute; solus dat esse simpliciter et absolutum, profundit totum ens et omnes eius differentias; est causa radicalis omnis esse, sub omni respectu, quomodocumque illud esse consideretur. Extra illud esse absolutum et independens nihil in rerum natura est possibile, nisi quod intellectus divinus ab æterno in participatione essentiae ut possibile viderit; (1) nihil existit, nisi per scientiam in Deo, quæ adiunctam habet producendi voluntatem. (2) Scientia haec est fons totius realitatis, divinus intellectus totius idealitatis, proximus nempe, remotus est et radicalis divina essentia. Ita sana ratio et doctrina Thomistica, unde etiam quænam fuerit rerum origo, et, ut existant, creationis necessitas probatur.

»In principio creavit Deus coelum et terram". Creavit, i. e. produxit ex nihilo. Istud *ex* non notat causam materialem, sed ordinem; quasi dicamus: produxit non ex aliquo. (3) Nec illud »non ex aliquo" ita intelligendum est, quasi creationem et res creatas nihil praeter causam efficientem et virtualem præcesserit: præcessit iam ab æterno, prout modo innui, aliquid,

(1) I. qu. XV. a. 2.

(2) I. qu. XIV. a. 8.

(3) I. qu. XLV. a. 1. ad 3.

omnes res creatas et creabiles eminenter continens; in mente divina praecesserunt ab aeterno rerum propriae rationes, quae sunt essentia divina, cognita ut participabilis; unde praecessit etiam causa exemplaris, ad cuius normam omnia sunt creata. Lucide pro more suo ea exprimit Praeceptor Angelicus: (1) »Deus essentiam suam perfecte cognoscit: unde cognoscit eam secundum omnem modum, quo cognoscibilis est. Potest autem cognosci non solum secundum quod in se est, sed secundum quod est participabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis.” »Ideo oportet dicere, quod in divina sapientia sint rationes omnium rerum, quas diximus ideas, i. e. formas exemplares in mente divina existentes.... Sic igitur ipse Deus est exemplar omnium. Possunt etiam in rebus creatis quaedam aliorum exemplaria dici, secundum quod quaedam sunt ad similitudinem aliorum, vel secundum eamdem speciem, vel secundum analogiam alicuius imitationis.” (2)

Notentur prae caeteris haec verba S. Doctoris: »secundum aliquem modum similitudinis.” Causa exemplaris idcirco creaturarum est divina essentia, non formalis, nec materialis, neque sicut totum infinitum suas continent partes, secundum pantheistas modernos. Hinc a

(1) l. qu. XV a. 2.

(2) l. qu. XLIV a. 3.

S. Congr. Inquisitionis (1) ut periculosa reprobata est propositio: »Res creatae sunt in Deo tanquam pars in toto; non quidem in toto formaliter, sed in toto infinito simplicissimo, quod suas quasi partes absque ulla sui divisione et diminutione extra se ponit.”

Attendantur illa: »secundum *analogiam alicuius imitationis.*” Causae igitur *exemplares* sunt, non essentiae rerum *physicae* aut *metaphysicae*, rationes illae aeternae, de quibus Angelicus, reiiciens iam suo tempore hodieras ontologistarum theorias, pantheismo valde affines. Quapropter omnia, quaecumque sunt, cum essentia divina et rationibus aeternis neque specifice neque generice coincidunt, eam tamen aliqua ratione imitantur et suo modo repraesentant.

Et primo quidem, omnis res Deum imitatur et suo modo repraesentat in *esse, vero et bono.* Omne agens agit sibi simile, inquantum est agens. Si agens continetur in eadem specie vel in eodem genere cum suo effectu, erit similitudo maior vel minor. Si vero agens in nullo genere continetur, effectus eius magis remote similis erit, nempe secundum aliquam analogiam, et hoc modo quae sunt a Deo, ei assimilantur »inquantum sunt entia, ut primo et universalis principio totius

(1) 18 Sept. 1861.

esse.” (1) Duo ergo principia ponit D. Thomas: *a*, veram similitudinem inter esse divinum et esse creatum; *b*, similitudinem tantum analogicam, non pantheisticam, prout somniant moderni; vere, realiter, specifice et generice differunt esse divinum et creatum, stante tamen maxima huius ab illo dependentia.

Maxima dependentia, ita repetunt ontologistae, *a sua idea, a suo fonte et exemplari*, ergo nec unum absque alio potest cognosci, et omne esse creatum videtur in divino. Ast misere falluntur: alius est enim ordo dependentiae alius cognitionis, alius ordo relativus alius absolutus. Nonne vera extra Deum existit realitas? Num vere res formaliter extra Deum existunt? Quae cum ita sint, extra Deum eas cognosci posse, quis sanae mentis inficiabitur? (2) Ex eo namque, quod aliqua res est, vera est, seu est cognoscibilis: »unumquodque, in quantum habet de esse, in tantum est cognoscibile”. (3) Deus est summum et primum esse, propterea summa et prima veritas, et ideo res vera est, quia ideae divinae, exemplari aeterno, est conformis. Et sicut datur unum esse divinum, quo omnia sunt

(1) I. qu. IV. a. 3.

(2) Hinc summo iure proscripta est a S. Congr. Inquisitionis, die quo supra, haec propositio: „Esse illud, quod in omnibus et sine quo nihil intelligimus, est esse divinum.”

(3) I. qu. XVI. a. 3.

tanquam principio effectivo exemplari, et simul in diversis diversum esse, quo sunt in se: ita est una veritas, qua ut principio effectivo exemplari omnia vera sunt, et habentur in rebus creatis plures veritates, primam et summam veritatem pro posse suo imitantes, quibus dicuntur in se verae. Cum autem non solummodo sit rerum, sed etiam intellectuum et intellectio-
num mensura, (1) quocumque modo sumatur veritas, sive secundum quod est in rebus, sive secundum quod in intellectu, veritas prima, seu divina essentia, cuiuslibet veritatis idea est et primum exemplar: »sicut ab una facie hominis, inquit Angelicus, (2) resultant plures similitudines in speculo, sic ab una veritate divina resultant plures veritates”, irradiationes et exemplata primae veritatis, quae sola est *positive* aeterna, quia solus intellectus di-
vinus est *positive* aeternus. (3)

Exemplar est itaque essentia Divina, ut esse primum, ut prima veritas, exemplar etiam est prout summa et essentialis bonitas. Hoc iterum clarissime, ut assolet, exponit Praeceptor noster: (4) »Unumquodque dicitur bonum bonitate divina, sicut primo principio exem-

(1) I. qu. XVI. a. 1.

(2) I. qu. XVI. a. 6.

(3) I. qu. XVI. a. 7 et ad 1.

(4) I. qu. VI. a. 4.

plari, effectivo et finali totius bonitatis: nihilominus tamen unumquodque dicitur bonum similitudine divinae bonitatis sibi inherente, quae est formaliter sua bonitas, denominans ipsum." Quasi dicat: In Deo triplex relate ad res creatas habetur principium: effectivum, exemplare et finale. Vi principii effectivi a Deo creatae sunt; vi principii exemplaris iuxta ideam in divina mente existentem sunt productae; vi principii finalis tendunt in Deum naturaliter, tanquam in supremum bonum et omnium ultimum finem. Omnia igitur bona sunt bonitate extrinseca sive divina, quaevis etiam res habet bonitatem intrinsecam, formaliter sibi inherenterem et divinae essentiae suo modo similem. (1)

(1) Triplex itaque ex Doctore omnis creaturee proprietas: *est, vera est, bona est*; triplex ei opponitur error modernus: pantheismus, ontologismus, et falsus mysticismus. *Omnis creature habet proprium esse*, non confundendum cum esse divino, quo neglecto principio ortus est quasi totus pantheismus Germanicus; omnis creature habet *propriam veritatem*, non confundendam cum veritate prima, in qua sola, ut dicunt ontologistae, omnia videimus; „quidam dixerunt. quod primum, quod a mente humana cognoscitur etiam in hac vita, est ipse Deus qui est veritas prima et per hanc omnia alia cognoscuntur. Sed hoc aperte est falsum." (D. Th. opusc. 70, super Boeth. de Trin. .q 1. a. 3); *omnis creature bona est*, salus nostra maximum bonum, ergo et hanc amando non amamus Deum imperfecte, non solus Deus diligendus est *exclusive*, uti placet huiusmodi mysticis. Ordo physicus sit regula in ordine morali: sicut omnis creature tendit ad Deum et scipsem in Deo ut in summo bono, in quantum potest conatur perficere, ita omnes amor noster ad Deum tendat, in Deo se perficiat et ad ipsum, ut in fontem omnis boni, referatur.

Notandum insuper, in iis ipsis, quibus essentia divina et creatura quam maxime differre videntur, quandam assimilationem perspici posse. Cum enim in Deo omnia sint simpliciter, unite, realiter idem, aequaliter, infinito modo perfecte, divina providentia, quia in casu effectum causa infinite excedit, sapientissime disposuit, ut effectus sint multiplices, compositi, distincti, inaequales, ad maiorem semper tendentes perfectionem, omni, quo meliori possunt modo Deum imitari conantes; quae variis locis docet D. Thomas. (1) Non excluduntur quidem suicidae, dammati, qui quaerunt mortem ut bonum, daemones quoque, etsi odio Deum prosequantur, naturaliter tamen appetunt esse et vivere: id quod bonum est et ex se ordinatur ad summum bonum.

Omnia itaque esse, vero et bono divino assimilantur; immo ipsa SS. Trinitas a creaturis aliquomodo exprimitur: quaevis enim habet esse, et est in aliqua specie, ordinemque habet ad aliud. Sunt haec cuique notissima. Secundum esse repraesentat causam ac principium, et sic notat personam Patris, qui est principium non de principio, uti legimus in Symbolo: »Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae.” Secundum quod res est in specie, Verbum imitatur aeternum, conceptum

(1) Cf. I. qu. XLVII. a, 2; XLIV. a, 4; LXV a, 2; III, Contra Gentes XIX et XX.

in mente Patris. In quantum ordinatur ad aliud, exprimit Spiritum Sanctum, qui est amor; ordo effectus ad alterum est ex voluntate creantis. (1) Num ergo ratione demonstratur SS. Trinitas? Minime gentium! Juvant ea credentem, incredulum non convincunt: mera sunt vestigia, exemplata quaedam ad exemplar; in exemplari natura una est et eadem numero, tres personae: cuius rei similitudo in creatis frustra quaeretur.

Quo autem magis immaterialia et spiritualia sunt opera Dei eo magis Deum imitantur: hinc illud celebre Geneseos: »faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.” Ad *imaginem*: non sit in eo tantummodo vestigium; *Ad imaginem*: ne intelligatur perfecta: solus Filius est perfecta Patris imago; *et similitudinem*: idest ad imaginem valde similem; *nostram*: idest non solum ut repraesentet naturam divinam, qua Deus est unus, sed etiam Trinitatem personarum, qua est trinus. Est in homine, in quocumque homine, imago Dei secundum mentem, proprietatem eius nobilissimam et gradum naturae intellectualis, qui est inter naturae gradus supremus. »Homo est maxime ad imaginem Dei, secundum quod intellectualis natura Deum maxime imitari potest. Imitatur autem intellectualis natura

1) Cf I qu. XLV, a 7.

maxime Deum, quantum ad hoc quod Deus seipsum intelligit et amat.” (1) In illa vero imagini quadruplex gradus: ut est mera aptitudo naturalis ad Deum cognoscendum et amandum, quae omnis naturaliter inest; ut est notio Dei et amor naturalis; ut homo cognoscit et amat Deum supernaturaliter per gratiam et ut ipsum cognoscit et amat supernaturaliter in gloria. Non solummodo Deus representatur in creatura rationali qua unus, sed et qua trinus est. In Deo distinctio Personarum non est nisi secundum relationes originis: hinc omnia in Deo sunt unum et idem, nisi obvet oppositio relativa; porro modus originis unus cuiusque rei nequit esse nisi secundum convenientiam suae naturae et hinc distinctio divinarum personarum est secundum quod convenit naturae divinae; cum ergo in Deo *una* existat natura in tribus personis, evidenter concludimus in homine esse imaginem Dei, non tantum quoad naturam divinam sed etiam quantum ad Trinitatem personarum, (2) quod insuper S. Doctor confirmat et explicat: (3) »Cum increata Tri-nitas distinguatur secundum processionem verbi a dicente, et amoris ab utroque, in creatura rationali,

(1) I. qu. XCIII. a. 4.

(2) I. qu. XCIII. a. 5.

(3) Ibid. a. 6.

in qua invenitur processio verbi secundum intellectum, et processio amoris secundum voluntatem, potest dici imago Trinitatis per quamdam repraesentationem." Et sicuti est quadruplex gradus imaginis quoad naturam divinam in homine, ita in illo est quadruplex imaginis gradus quoad ipsam Trinitatem: est in omni homine processio illa verbi secundum intellectum, et amoris secundum voluntatem, et ita anima rationalis nata est ferri in Deum, (1) quae processio naturalis non raro in homine actualis, est in iustificatis supernaturalis, in beatis gloriosa, iuxta quod anima rationalis vere fertur in Deum, notitia et amore naturali, vel per gratiam in via, vel per gloriam in patria.

Imago vera, naturalis vel supernaturalis vel gloriosa naturae divinae et SS. Trinitatis, imperfecta utique *per quamdam repraesentationem*, ait S. Thomas; solus Filius est perfecta imago Patris, splendor gloriae et candor lucis aeternae. Propter infinitam inter creatorem et creaturam distantiam perfectam inter Deum et hominem dari imaginem omnino repugnat; minus vel magis imperfectam pro varia creaturarum conditione occurrere necesse est. Certe, quo magis disposita est natura intellectualis, ut ad Deum ferri posset notitia et amore; quo magis ad Deum

(1) I. qu. XCIII. a. 8.

feratur realiter notitia et amore vel naturali vel supernaturali in via et patria, eo magis relucere imaginem Dei, quis iure negabit? Est vero inter varios Santos destinatio a Deo, ut fiant conformes imagini Filii sui, praescientia et praedestinatio varia, varia vocatio, iustificatio et glorificatio varia pro maiori vel minori lumine gloriae, quo perficietur et confortabitur eorum intellectus, iuxta illud: »in lumine tuo videbimus lumen” (1) et »stella differt a stella in claritate” (2) Et quia de imagine Dei, quae est in Beatissima Virgine loqui intendimus, eam, ex doctrina et mente Doctoris Angelici, in vita illius et in gloria eminere quam maxime, ostendendum suscipimus.

Ut autem ordinate procedamus, consideranda est Maria in triplici statu: I. ante incarnationem Verbi — II. post incarnationem Verbi — III. in visione beatifica et fruitione Verbi.

(1) Ps. XXXV. 10.

(2) I. ad Cor. XV. 41.

CAPUT SECUNDUM.

ARTICULUS PRIMUS

*Imago Dei et SS. Trinitatis in Beatissima Virgine
ante Incarnationem Verbi.*

In plena luce meridiana primus ille parens creatus fuerat, factus ad imaginem et similitudinem conditoris. In plena, inquam, luce meridiana: quid clarius, quid splendidius, quam creatum creanti esse similem? »Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; *ad imaginem*: in natura intellectuali; *et similitudinem*: ad imaginem valde similem, ad imaginem gratiarum fulgore illustratam. At ille, tanta privilegii dignitate rejecta, apostatae spiritui, uxore instigante inhaesit, et se cum suis posteris, lucidissima illa imagine obscurata, perpetuae morti destinavit et tenebris. Ab ista hora *tenebrae factae sunt super universam*

terram usque ad Mariam, nec inventus est aliquis, qui tenebras dissiparet; sed mundo crescente concrevit et tenebrosa vorago, quae in densissimam congregata nigredinem, genus humanum nocte terribili sepelivit. Haec est illa nox solitaria de qua scriptum est: *facta est nox*; haec est illa nox, *in qua pertransierunt omnes bestiae sylvae*, quia crudelis et indomiti spiritus, dimotis repagulis, humanum genus totis viribus attriverunt. Sed ecce, concepta Virgine resurgit imago primaeva creatoris, gratia admirabili dotata; surgit illustrata radiis luminis aeterni appropinquantis aurora. Haec est illa stella in medio nebulae, illa aurora, quam sequitur, de qua orietur sol iustitiae; beatissima illa virgo, quae Deum per suam mentem puram, perfectam, summa gratia illustratam et confortatam, digne repreäsentat. Quo enim magis disposita est mens seu natura intellectualis [scripsimus supra] ut ad Deum ferri posset notitia et amore; quo magis ad Deum feratur actualiter notitia et amore naturali vel supernaturali, hoc magis in illa mente relucet imago Dei. Ea vero obtinebunt in creatura rationali, quo fuerit magis pura, magis perfecta, quo gratia in ea maior et uberior, quo eminentior finis, ad quem fuit destinata, quo in illa ferventior charitas, ut patet consideranti; sicut et ea omnia occurrere plene et abundanter in B. M. V., luculentissime patebit.

Quid puritas, in sensu quo loquimur? Puritas est exemptio a peccato: »puritas intenditur per recessum a contrario.” (1) Quo magis creatura recedit a suo contrario, hoc purior: »augmentum puritatis est secundum recessum a contrario.” (2)

An ea puritas in creatura existere potest in summo gradu? Ratio dubitandi: quia nec summa charitas nec summa bonitas. Ast alia omnino via acquiritur perfectio charitatis et bonitatis, alia omnino perfectio puritatis: »charitatis augmentum est per accessum ad divinam bonitatem; et ideo non habuit (B. V.) summam charitatem, qua maior non potest intelligi, quia etiam profecit in charitate et gratia.” (3) »Id enim, quod movetur anima in augmentatione caritatis, est similitudo divinae charitatis, cui assimilatur; ad quam, cum infinita sit, in infinitum potest accedi plus et plus, et numquam adaequabitur perfecte.” (4) »Bonitas intenditur per accessum ad terminum, quod in infinitum distat, sc. summum bonum, unde quolibet finito potest aliquid melius fieri.” (5) Summa vero puritas, quae est exemptio ab omni peccato, haberri potest, et habita est in sanctissima Virgine ex nostro Doctore: »Puritas

(1) I. Sent. Dist. 44. qu. 1. a. 3. ad 3.

(2) Ibid. Dist. 17 qu. 2. a. 4. ad 3.

(3) Ibidem.

(4) Ibid. in corpore.

(5) Ibid. Dist. 44. a. 3. ad 3.

intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit; et talis fuit puritas B. Virginis, quae a peccato *originali* et actuali immunis fuit." (1) Tanta puritas,

(1) Ibid. Quid expressius afferri posset, quid clarius, quo mens D. Thomae circa Immaculatam Conceptionem evidentius pateret? Quasi dicat S. Doctor: eodem modo immunis fuit B. V. a peccato originali ac a peccato actuali, atqui ex omnium Theologorum sententia et doctrina Ecclesiae semper immunis fuit a peccato actuali: ergo et ab originali. De caetero ad scopum huius opusculi non pertinet ea expendere quae ex Doctore Angelico contraria, uti videri possent, afferuntur, praecipue et ex eo, quia hanc quaestionem ex professo tractavit Revmus P. Spada, Procurator Ordinis Praedicatorum, in opere cui titulus: Animadversiones quas proposuit P. fr. M. Spada in opus Illustri et Revni Domini, J. B. Malou, Epi. Brugensis. Liceat mihi, quae sequentur absurdia, tantum subjecere. 1. Ergo, S. Doctor, ex omnium sententia Theologorum princeps, docuisset conclusiones, principiis suis saepe repetitis omnino contrarias! Adversarii nostri aperte profitentur, ipse quidem Illustrus et Revmus Episcopus Brug., iterato posuisse Angelicum principia, quae Conceptionem Immaculatam clare involvunt, v. g. summam B. M. V. puritatem, perfectam et indefinitam sanctitatem, maiora privilegia ipsi concessa quam quibuscumque Sanctis. Doctoris alicuius principia, imprimis Doctoris eminentissimi, absque dubio ipsius doctrina sunt! 2. Tota et unica ratio, quam citat S. Doctor in III. qu. XXVII. a. 2 in quo praesertim docuisset, B. V. in peccato esse conceptam, est haec: quia indignit redemptione Christi; ergo non cognovisset redemtionem *praeservativam* D. Angelicus! hanc, salva redemptione Christi, impossibilem credidisset Theologorum princeps! Quod unicuique iam satis obvium est, hoc tanto ingenio fuisset inscrutabile! In hoc, ut mihi quidem videtur, tota versatur quaestio. Stemus in verbis apertis-

ut ipsi Deo sub hac parte non vereatur B. Virginem aequiparare D. Thomas, hac solummodo differentia, quod Deus peccare omnino nequit, omnis autem creatura, quantum ex se est, peccare potest: »et quia in B. Virgine fuit depuratio ab omni peccato, ideo pervenit ad summum puritatis, sub Deo tamen, in quo non est aliqua potentia deficiendi;” (1) quinimo impossibile declarat S. Doctor B. M. aliquando peccasse; et ratio valde urgens est haec: quia id cum ipsis dignitate, qua Mater Dei, stare non potuit: »non fuisset idonea Mater Dei, si peccasset aliquando.” (2)

Rationem hanc generalem ibidem in particulari magis evolvit Angelicus: induceret ignominiam Matris *in Filium redundantem*; officeret singulari ipsius affinitati ad Christum: »quae conventio Christi ad Belial;” repugnaret honori Filii, qui est sapientia Patris, in anima et utero Matris habitantis. Hinc concludit: tota pulchra fuit Maria et macula nequidem venialis in ea um-

simis: „Talis fuit puritas beatae Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit,” et perspicua non ex obscuris, sed obsecura ex perspicuis interpretetur, prout interpretanda esse concordant jurisperiti.

(1) I Sent. Dist. 17. qu. 2. a. 4. ad 3.

(2) III. qu. XXVII, a. 4.

quam reperta est (1); concludit(2): sicut Christus semper ab omni quocumque peccato fuit purissimus, ita et B. Virgo: »in Christo et in Virgine Maria nulla omnino macula fuit;” concludit (3) »non solum erat pura in se, sed quodammodo sicut Christus procuravit puritatem aliis.”

Quid plura? Purissima a quacumque labore peccati B. V. fuit et in ordine naturali perfecta: »In beata Virgine debuit apparere omne illud, quod fuit perfectionis.” (4) Concise et vere; quia nulla quaecumque peccati macula, ideo nulla obtenebratio intellectus, nulla propensio mala voluntatis, nequidem involuntaria, omnis propensio rationi et virtuti omnino consona. Haec vel in aliis mirabilem efficaciam habuerunt; ita ut, quamvis esset facie pulchra, a nullo umquam

(1) Nonne hisce nota praecedens egregie confirmatur? *Non fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando:* ergo *numquam* peccavit mater Dei, neque venialiter; ergo a fortiori neque in peccato originali (*mortalī*) concepta fuit. Quid refert utrum peccatum ex parte personae voluntarium fuerit nec ne? De deformitate *intrinseca* peccati in rationibus allegatis quaestio est, *de oppositione ad Deum*: »*quae conventio Christi ad Belial.*” Accedit insuper, easdem prorsus rationes, quas hic affert S. Doctor, pro conceptu immaculato communiter afferri a Theologis. Num forte solus S. Thomas, omnium Theologorum ex sententia communi acutissimus, caecutiit et vim suarum rationum relate ad peccatum originale non perspexit!!

(2) In Expos. Ps. 14.

(3) In Expos. Salut. Ang.

(4) IV Sent. Dist. 30, qu. 2. a. 1. qu. 1.

concupisci potuerit. (1) Naturae indoles paeclaras, harmonia in temperamento, in passionibus consonantia: »debuit apparere in beata Virgine omne illud, quod fuit perfectionis." Inde et perfectio animae singularis ut operationes perfectissimas, suae dignitati congruas, facile et suaviter elicere posset; inde et ingenium sagax, perspicax, iudicium solidum et maturum, memoria expedita et tenax, contemplatio continua sine defatigacione, indefectibilis sine errore. Phantasia ipsius pacata semper et placida, passionibus non obscurata, evagationibus non distracta, nullis erroris vel disceptionis tenebris offuscata.

Sufficiat haec ita memorasse, ad digniora properemus. A sola gratia Mariam Angelus commendavit, et nos sub hac ratione praesertim commendemus Mariam: »Ave gratia plena... invenisti gratiam apud Deum." Dein quidquid in Maria gestum est, fuit opus gratiae, ait S. Hieronymus. Ex parte futurae maternitatis Filii Dei commendavit Mariam, quam tot tantaeque gratiae praecesserunt: »Dicendum quod illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei, secundum illud II. ad Cor. III: *idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut esset

(2) III Sent. Dist. 3. qu. 1. a. 2. qu. 1 ad 4.

mater Dei: et ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddiderit, secundum quod Angelus ad eam dicit: invenisti gratiam apud Deum: ecce concicies etc.” (1)

Quid gratia? Audiamus praeceptorem Angelicum: »Gratia nihil aliud est, quam participatio divinae naturae.. Deus deificat communicando consortium divinae naturae per quamdam similitudinis participationem;” (2) »lumen gratiae est participatio divinae naturae” (3); »gratia, quae est accidens, est quaedam similitudo divinitatis, participata in homine”; (4) »gratia secundum se considerata perficit essentiam animae, in quantum participat similitudinem divini esse.” (5) Haec est ex mente fixa et constanti S. Doctoris gratiae dignitas et eminentia, ut divini esse, divinae essentiae sit similitudo: sicut enim divina natura nostro concipiendi modo, est principium divinarum operationum, ita et gratia est principium operationum supernaturalium; sicut principium illud Deum inclamat ad sese intuitive videndum et amandum, sic et gratia est principium

(1) III qu. XXVII a 4.

(2) 1. 2. qu. CXII a 1.

(3) 1. 2. qu. CX. a. 3.

(4) III. qu. II. a. 10. ad. 1.

(5) III, qu. LXII. a. 2,

et radix Deum cognoscendi, intuitive videndi, diligendi, omnia propter Deum amandi et operandi. Tanta quidem insuper videtur esse gratiae dignitas, ut sit participatio divinae naturae, uti infinita est, habetque esse plenitudinem: quia gratia, cum sit intellectualitatis divinae similitudo et quasi fulgor, ita elevat naturam intellectualem, ut ipsum Deum, in se infinitum, qualem pro obiecto respicere videatur. Si vero gratia est participatio divinae naturae, divini esse, prout infinitum est, essendi plenitudine praedita, essendi autem plenitudo continet naturae divinae faecunditatem, iuxta quam per actiones immanentes intellectus et voluntatis habetur generatio Verbi et Spiritus Sancti processio, facile inde eruitur, gratiam esse quoque participationem naturae Dei, ut trinus est, seu quamdam imaginem Trinitatis, et oriri inde in nobis per gratiam ipsius SS. Trinitatis quamdam participationem. Per gratiam namque vis oritur in intellectu, qua producitur cognitio supernaturalis, ex cognitione hac procedit verbum supernaturale, en specimen quoddam, quaedam imitatio, participatio Verbi aeterni. Causatur porro a gratia in voluntate amor et charitas supernaturalis, quae est participatio quaedam infinitae charitatis (1), et haec est spiritus sanctus. Et ita quidem imago illa Dei et

[1] 2. 2. qu. XXII. a. 7.

Trinitatis, quam in omni mente vigentem supra vidi-
mus, per gratiam mirifice perficitur, elevatur, secun-
dum illud: gratia non destruit, sed perficit, elevat
naturam.

Quanto magis hoc in B. V. M., in qua fuit gratia
tanto maior, uberior, eminentior. »Rationabiliter cre-
ditur, quod illa, quae genuit *unigenitum* a Patre,
plenum gratiae et veritatis, p[ro]ae omnibus aliis maiora
privilegia gratiae acceperit; unde legitur Luc. I: Ave,
gratia plena (1).” Plenitudinem hanc gratiae et admi-
rabilem charitatem inde derivatam suspiciens Gabriel
Angelus et venerans, eam gratiae plenam salutavit,
»quae salutatio a primis mundi incunabilis nulli mortali
contigit (2).” Considerandum, antiquitus fuisse valde
magnum si Angeli apparerent hominibus, vel quod
homines iis reverentiam exhiberent, in maximam eorum
cessisse laudem. Unde ad laudem Abrahae scribitur,
Angelos ab illo esse hospitio receptos, et quod ipsis
ostenderit reverentiam. Angelos autem homini obser-
vantiam exhibuisse, numquam fuit auditum, nisi post-
quam salutavit B. Virginem reverenter, dicens: *Ave.* (3)
Exponit dein s. Doctor, quare antiquitus non Angelus

(1) III. qu. XXVII. a. 1.

(2) S. Thomas. In salut. Ang.

(3) Ibidem.

hominem, sed homo Angelum veneraretur: 1º quidem quia Angelus est dignior ratione naturae spiritualis; 2º quia Dei familiaris, utpote Ipsi assistens; 3º propter plenitudinem splendoris gratiae divinae: »Angeli enim participant lumen divinum in summa plenitudine.”

Quibus praemissis ita procedit Angelicus: non ergo decens erat, ut Angelus homini reverentiam exhiberet, quousque alius inveniretur in humana natura, qui in his tribus excederet Angelos: et haec fuit B. Virgo. Et ideo, ad designandum in his se ab illa superari, voluit ei Angelus reverentiam exhibere, unde dicit: »Ave.” Primo quidem excessit in plenitudine gratiae, quare dicit: Ave, *gratia plena*: q. d: ideo exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis plenitudine gratiae. Dicitur B. Virgo plena gratiae 1º quantum ad animam, unde in Canticō legitur: »Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te;” (1) 2º quantum ad redundantiam animae ad carnem vel corpus; 3º quantum ad refusionem in omnes homines. »Magnam est in quolibet sancto quando habet tantum de gratia, quod

(1) Quod iam applicaverat s. Doctor B. Virginis, id ipsi hodie applicat et canit s. Ecclesia: »Tota pulchra es, Maria, et macula originalis non est in te.” Nec obest, quod Angelicus hic et alibi scribat: »B. Virgo concepta est in peccato originali;” vel: »contraxit peccatum originale;” vel: »subiecta fuit peccato originali;” formulae illae, fatentibus ipsis adversariis nostris, bene explicantur. Cf. Spada o. c. pagg. 55 et seqq.

sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum, hoc esset maximum, et hoc est in Christo *et in B. Virgine*. Secundo excellit Angelos in familiaritate divina; dicet Angelus: »*Dominus tecum.*“ Tertio excedit Angelos quantum ad puritatem, quia B. Virgo non solum erat pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis (1).“

Ita s. Thomas. Concludimus: si tanta ex Doctore nostro et in Maria puritas, et cum Deo familiaritas, tanta gratia, quae superat plenitudinem splendoris gratiae divinae in Angelis, lumen divinum in tanta plenitudine participantibus, quanta ex iis charitas, Dei et Trinitatis imago! Dilexit Maria Dominum, sicut omnes scripturae sacrae eum praedicant diligendum, et charitas eius omnium sanctorum charitatis forma est et exemplar. Maria ex toto corde Deum dilexit, quia cor ipsius ad nullius rei dilectionem inclinatum fuit nisi in Deum, ex tota mente, quia omnes sensus eius Deo vacabant; ex tota anima, idest ex tota virtute. Dilexit Trinitatem, eamque in se expressit, ex tota virtute relate

(1) Purior quam Angeli fuit itaque Maria; Angeli vero creati sunt in gratia (I qu. LXII. a 3): et Beatissima Virgo ex mente nostri Doctoris concipi non potuisset in gratia? fuisse concepta ut *filia irae?* Quae conventio *Matris Dei* ad Belial? Cf III. qu XXVIII. a 4.

ad Patrem, ex tota mente comparet ad Filium, ex toto corde quoad Spiritum Sanctum. Virtute namque Patrem, mente Filium, corde Spiritum Sanctum representavit.

Virtute Patrem: Virtus enim seu potentia habet rationem principii unde habet similitudinem cum Patre caelesti, qui est principium totius Divinitatis.

Mente Filium: Mens habet similitudinem cum Filio, qui est Verbum, ceu conceptio mentis.

Corde Spiritum Sanctum: Cor respicit bonitatem, bonitas vero, cum sit ratio et objectum amoris, habet similitudinem cum Spiritu Sancto, qui est Amor. (1)

Mutuo sese amant et vehementissime quidem Pater et Filius, inde Spiritus Sanctus, et charitas illa [participata utique] diffusa est per eminentiam in corde Beatissimae Mariae Virginis per Spiritum Sanctum, qui datus est illi.

(1) D. Thomas I q. XXXIX, a 8.

ARTICULUS SECUNDUS.

*Imago Dei et SS. Trinitatis in B. V. Maria
Post Incarnationem Verbi.*

Itaque mens eius Deiformis, ab omni penitus a Deo separante motu atque affectu segregata immunisque extitit, et idcirco divina dilectione stabilis erat et integra. Quemadmodum naturalium operationum ac motuum causa et principium extitit natura, sic actuum meritoriorum et dilectionis causa et origo est gratia. Quo igitur in praeelecta et incomparabili Virgine gratiae erat plenitudo sublimior, eo utique divinis uberius erat intenta, in charitate stabilior, atque omni opere meritorio iugiter inhaerens. Cum fuerit ante Verbi incarnationem gratia plena, plenior in incarnatione, ac deinceps quotidie magis repleta, constat, divinae charitatis flammarum, inquantum haec vitae patitur peregrinatio, in B. Virgine fortius semper incaluisse, ut nec in man-

ducante, nec in operante, nec dormiente requieverit, iuxta illud: »Ego dormio et cor meum vigilat.”

Circa illa tamen quae dico: *cum fuerit ante Verbi incarnationem gratia plena, plenior in incarnatione*, etc. moveri posset difficultas et proponi hoc modo: Ei, quod plenum et perfectum est, nihil additur neque addi potest.

Difficultas haec spectari potest ex duplice capite: ex parte personae, cui gratia datur et ex parte ipsius gratiae datae. Ex utroque capite eam iam solvit suo tempore S. Thomas. Quoad primam partem: (1) »In rebus naturalibus primo quidem est perfectio dispositionis, puta cum materia est perfecta ad formam disposita. Secundo est perfectio formae, quae est potior: nam et ipse calor est perfectior, qui provenit ex forma ignis, quam ille qui ad formam ignis disponebat. Tertio autem est perfectio finis.... Similiter in B. Virgine fuit triplex perfectio gratiae: Prima quidem quasi dispositiva, per quam reddebatur idonea ad hoc quod esset mater Christi; et haec fuit perfectio sanctificationis. Secunda perfectio gratiae fuit in B. Virgine ex praesentia Filii Dei in eius utero incarnati. Tertia autem est perfectio finis quam habet in gloria.” Considerat ita D. Doctor Beatam Virginem in omni statu, ante et

(1) III. qu. XXVII. a. 5 ad 2.

post incarnationem et in gloria. In omni statu ponit in ipsa plenitudinem gratiae, variam pro vario statu, et varia eius conditione.

Quantum ad secundum difficultatis partem, haec jam supra soluta est. Possibilis est puritas summa, qua maior in creatura rationali dari non potest, quia puritas est recessio a malo, bonitas vero sicut et charitas et gratia semper ex se possunt augeri, prout enim accutissime observat Angelicus, haec intenduntur per accessum ad terminum: bonitas et charitas ad summam bonitatem, gratia ad naturam et esse divinum; quae, cum sint infinita, plene attingi non posse, unicuique perspicuum est.

Triplex idcirco ex modo dictis consideranda est in B. Virgine gratiae plenitudo et perfectio. De prima iam diximus, de secunda hic sermo, de tertia in sequenti articulo dicemus.

Inprimis ratum apud omnes est et receptum, gratias et perfectiones Mariae ad maternitatem Dei esse admittiendas. Haec est omnium donorum supernaturalium prima radix. Cum enim prudenter operans muneribus commissis applicet perfectiones et dotes convenientes, dubitare non licet, quin Deus, qui summam ubique prodit sapientiam, munus tam sublime, tam proxime Ipsum attingens, dignitatem divinae maternitatis, Beataissimae Virgini concreditam, consentaneis quoque praerogativis voluerit exornatum. Ita servatum videmus in

praecursore, ante faciem Domini paraturo vias Eius, in apostolis, qui primitias Spiritus acceperunt opibusque supernaturalibus eximie sunt ditati: id quod Ipsius Dei Genitrici contingere maxime oportuit. Et hinc collatae sublimes gratiae, de quibus diximus, privilegia illa praeclera, ad incarnationem Verbi ordinata, quae ipsam remote et proxime praepararunt. Gratia plena iam dicta est ab Angelo Virgo Beatissima, gratia nempe dispositiva ad mysterium, proxime adimplendum. Si vero dispositio ad incarnationem Verbi exegit gratiarum plenitudinem, quantam secum adduxit Verbum, actu incarnatum! »Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Unde Dionysius dicit, quod Angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis, quam homines. Christus autem est principium gratiae, secundum divinitatem quidem autoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter: unde et Joan. I dicitur: *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam: et ideo prae caeteris maiorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere (1).” Propinquissima fuit, ait S. Doctor: talis nempe propin-

(1) III qu. XXVII a 5.

quitas, ut corpus Filii Dei ex purissimo et castissimo sanguine B. Virginis a Spiritu Sancto sit formatum; talis propinquitas, ut idem illud corpus unita sit substantiae divinae in una eademque persona, in qua et natura divina ab aeterno subsistit. Et cum persona et natura in divinis non differant realiter, sed secundum modum significandi (1), ipsa divina natura dici potest incarnata, unita nempe carni ex Maria desumptae, personaliter (2); eadem caro deificata dici potest, non per conversionem sed per unionem ad Verbum (3). Si ipsa ergo natura divina incarnata dicitur, unita nempe personaliter carni ex Maria desumptae et in utero matris latenti; si eadem ipsa caro dicitur deificata per unionem ad Verbum, nonne mater Filio Dei ita propinquissima »quasi tota repleta est Divinitate (4)?”

Elucet in Beatissima Virgine nobilitas divina ex omni ordine participabili, naturae quidem et gratiae (vidimus) gloriae (in sequenti dicemus). Ex ipso ordine Hypostatico elucet, vi cuius humana Christi natura per unionem substancialis ad esse divinum tracta est. Eundem participavit Deipara, quia *qua mater Dei* non potuit

(1) III. qu. II. a. 2. ad. 1,

(2) Ibid. ad. 3.

(3) Ibid.

(4) S. Th. in Matth. I,

ad Patrem, ex tota mente comparet ad Filium, ex toto corde quoad Spiritum Sanctum. Virtute namque Patrem, mente Filium, corde Spiritum Sanctum representavit.

Virtute Patrem: Virtus enim seu potentia habet rationem principii unde habet similitudinem cum Patre caelesti, qui est principium totius Divinitatis.

Mente Filium: Mens habet similitudinem cum Filio, qui est Verbum, ceu conceptio mentis.

Corde Spiritum Sanctum: Cor respicit bonitatem, bonitas vero, cum sit ratio et objectum amoris, habet similitudinem cum Spiritu Sancto, qui est Amor. (1)

Mutuo sese amant et vehementissime quidem Pater et Filius, inde Spiritus Sanctus, et charitas illa [participata utique] diffusa est per eminentiam in corde Beatissimae Mariae Virginis per Spiritum Sanctum, qui datus est illi.

(1) D. Thomas I q. XXXIX, a 8.

ARTICULUS SECUNDUS.

*Imago Dei et SS. Trinitatis in B. V. Maria
Post Incarnationem Verbi.*

Itaque mens eius Deiformis, ab omni penitus a Deo separante motu atque affectu segregata immunisque extitit, et idcirco divina dilectione stabilis erat et integra. Quemadmodum naturalium operationum ac motuum causa et principium extitit natura, sic actuum meritorum et dilectionis causa et origo est gratia. Quo igitur in praelecta et incomparabili Virgine gratiae erat plenitudo sublimior, eo utique divinis uberius erat intenta, in charitate stabilior, atque omni opere meritorio iugiter inhaerens. Cum fuerit ante Verbi incarnationem gratia plena, plenior in incarnatione, ac deinceps quotidie magis repleta, constat, divinae charitatis flammarum, inquantum haec vitae patitur peregrinatio, in B. Virgine fortius semper incaluisse, ut nec in man-

ducante, nec in operante, nec dormiente requieverit, iuxta illud: »Ego dormio et cor meum vigilat.”

Circa illa tamen quae dico: *cum fuerit ante Verbi incarnationem gratia plena, plenior in incarnatione*, etc. moveri posset difficultas et proponi hoc modo: Ei, quod plenum et perfectum est, nihil additur neque addi potest.

Difficultas haec spectari potest ex duplice capite: ex parte personae, cui gratia datur et ex parte ipsius gratiae datae. Ex utroque capite eam iam solvit suo tempore S. Thomas. Quoad primam partem: (1) »In rebus naturalibus primo quidem est perfectio dispositionis, puta cum materia est perfecta ad formam disposita. Secundo est perfectio formae, quae est potior: nam et ipse calor est perfectior, qui provenit ex forma ignis, quam ille qui ad formam ignis disponebat. Tertio autem est perfectio finis.... Similiter in B. Virgine fuit triplex perfectio gratiae: Prima quidem quasi dispositiva, per quam reddebaratur idonea ad hoc quod esset mater Christi; et haec fuit perfectio sanctificationis. Secunda perfectio gratiae fuit in B. Virgine ex praesentia Filii Dei in eius utero incarnati. Tertia autem est perfectio finis quam habet in gloria.” Considerat ita D. Doctor Beatam Virginem in omni statu, ante et

(1) III. qu. XXVII. a. 5 ad 2.

post incarnationem et in gloria. In omni statu ponit in ipsa plenitudinem gratiae, variam pro vario statu, et varia eius conditione.

Quantum ad secundum difficultatis partem, haec jam supra soluta est. Possibilis est puritas summa, qua maior in creatura rationali dari non potest, quia puritas est recessio a malo, bonitas vero sicut et charitas et gratia semper ex se possunt augeri, prout enim accutissime observat Angelicus, haec intenduntur per accessum ad terminum: bonitas et charitas ad summam bonitatem, gratia ad naturam et esse divinum; quae, cum sint infinita, plene attingi non posse, unicuique perspicuum est.

Triplex idcirco ex modo dictis consideranda est in B. Virgine gratiae plenitudo et perfectio. De prima iam diximus, de secunda hic sermo, de tertia in sequenti articulo dicemus.

Inprimis ratum apud omnes est et receptum, gratias et perfectiones Mariae ad maternitatem Dei esse admittiendas. Haec est omnium donorum supernaturalium prima radix. Cum enim prudenter operans muneribus commissis applicet perfectiones et dotes convenientes, dubitare non licet, quin Deus, qui summam ubique prodit sapientiam, munus tam sublime, tam proxime Ipsum attingens, dignitatem divinae maternitatis, Beataissimae Virgini concreditam, consentaneis quoque praerogativis voluerit exornatum. Ita servatum videmus in

praecursore, ante faciem Domini paraturo vias Eius, in apostolis, qui primitias Spiritus acceperunt opibusque supernaturalibus eximie sunt ditati: id quod Ipsius Dei Genitrici contingere maxime oportuit. Et hinc collatae sublimes gratiae, de quibus diximus, privilegia illa paeclarata, ad incarnationem Verbi ordinata, quae ipsam remote et proxime praepararunt. Gratia plena iam dicta est ab Angelo Virgo Beatissima, gratia nempe dispositiva ad mysterium, proxime adimplendum. Si vero dispositio ad incarnationem Verbi exegit gratiarum plenitudinem, quantam secum adduxit Verbum, actu incarnatum! »Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Unde Dionysius dicit, quod Angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis, quam homines. Christus autem est principium gratiae, secundum divinitatem quidem autoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter: unde et Joan. I dicitur: *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam: et ideo pae caeteris maiores debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere (1).” Propinquissima fuit, ait S. Doctor: talis nempe propin-

(1) III qu. XXVII a 5.

quitatis, ut corpus Filii Dei ex purissimo et castissimo sanguine B. Virginis a Spiritu Sancto sit formatum; talis propinquitas, ut idem illud corpus unita sit substantiae divinae in una eademque persona, in qua et natura divina ab aeterno subsistit. Et cum persona et natura in divinis non differant realiter, sed secundum modum significandi (1), ipsa divina natura dici potest incarnata, unita nempe carni ex Maria desumptae, personaliter (2); eadem caro deificata dici potest, non per conversionem sed per unionem ad Verbum (3). Si ipsa ergo natura divina incarnata dicitur, unita nempe personaliter carni ex Maria desumptae et in utero matris latenti; si eadem ipsa caro dicitur deificata per unionem ad Verbum, nonne mater Filio Dei ita propinquissima »quasi tota repleta est Divinitate (4)?“

Elucet in Beatissima Virgine nobilitas divina ex omni ordine participabili, naturae quidem et gratiae (vidimus) gloriae (in sequenti dicemus). Ex ipso ordine Hypostatico elucet, vi cuius humana Christi natura per unionem substantialem ad esse divinum tracta est. Eundem participavit Deipara, quia *qua mater Dei* non potuit

(1) III. qu. II. a. 2. ad. 1,

(2) Ibid. ad. 3.

(3) Ibid.

(4) S. Th. in Matth. I,

esse extra ordinem *Filii*, »specialem habet ad Deum affinitatem (1),” ideo fines Divinitatis (ita Theologi) proxime attingit; quia qua mater Dei dignitate gaudet infinita, et quid melius ea creare Deus non potuit: »Beata Virgo ex eo, quod est mater Dei, habet quamdam infinitatem ex bono infinito, quod est Deus, et ex hac parte nihil potuit fieri melius, sicut non potuit aliquid melius esse Deo (2);” et tandem quia relatio (in casu maternitas) est perfectior, quo terminus (in casu filius) est excellentior: filius autem hic est Filius Dei. Filii et matris una èademque substantia est; operante Spiritu Sancto secundum naturalem generationis modum ex purissimo et castissimo sanguine conceptum fuit corpus Christi (3). Ex inviolabili et virginali sanguine sanctae et immaculatae Virginis Mariae Verbum vere factum est incarnatum (4)”. Tota materia unienda animae Christi et Verbo Dei a Beatissima Virgine fuit ministrata, nutritus intra uterum virginium, matris sanguine sacer foetus suxit substantiam eius lacte manantem, unde substantia a B. Virgine derivata mediate et proxime Dei Verbo copulata est, et orta inter

(1) 2. 2. qu. CIII. a. 4 ad 2.

(2) I. qu. XXV. a. 6 ad 4.

(3) III. qu. XXXI, a. 5.

(4) Conc. Gen. VI act. II.

matrem et Deum unio quaedam remota substantialis et identitas. Hinc celebre illud D. Augustini: »De carne Mariae carnem accepit et ipsam Mariae carnem nobis manducandam ad salutem dedit.” Deus condendo hominem ipsi imaginem suam impressit, B. Virgo Filio Dei impressit suam. Habitavit in corpore Mariae Ipse, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei, in quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.*

Quis post haec sane mirabitur, Virginem illam sapientissimam a divino Filio suo ita intime unito, circa mysticam Theologiam fuisse edoctam, ac proinde clarorem prae caeteris habuisse Dei cognitionem, divini amoris flammis in dies magis magisque exarsisse, utpote quae ab omnibus terrenis abstracta erat et divinis dumtaxat magna animi tranquillitate intenta. Stabilis sanctissimae mentis tranquillitas, clara sapientia, amor aestuans et copiosa gratia, perfectionem hanc *Deiformem* atque altissimam, mysticae nempe Theologiae ceu scientiae infusae, plenius procurarunt. Quin imo ex S. Hilario aliisque habuit Maria tantam claritatem in facie, ut Joseph eam ante partum non cognosceret. Hanc sententiam non rejicit S. Thomas, sed explicans illa verba: »et accepit coniugem suam, et non cognoscebat eam donec peperit filium primogenitum,” ita procedit: »quidem hoc referant ad notitiam visus; sicut enim Moysis cum Deo colloquentis glorificata est facies,

ut non possint intendere in eum filii Israël, sic Maria claritate virtutis Altissimi abumbrata, cognosci non poterat a Joseph, donec pareret; post partum autem a Joseph agnita invenitur specie faciei, non tactu libidinis 1.)"

Stante vel intima hac et summa inter Mariam et Filium Dei relatione et communicatione assidua, teneendumne est tamen omnino, purissirnam et sanctissimam Virginem, visione beatifica neque semel aut iterum et ad breve tempus, dum adhuc in terris viveret fuisse perfrutam, et hinc numquam in ipsa vivente *gloriosam* fuisse Dei et SS. Trinitatis imaginem? Sentiant hoc alii, ego, si mihi pro modulo meo opinionem meam aperire liceat, non sentio. Dico tamen: *neque semel aut iterum et ad breve tempus.* Docet namque revelatio, Deum per essentiam ab homine puro (2) naturaliter videri non posse, iuxta illud: »Non videbit me homo et vivet (3).» Confirmat ratio, quia modus cognitionis sequitur modum cognoscentis; et ideo quousque in hoc

(1) III. qu. XXVIII. a. 3. ad. 3. et Cat. Aur. in Matth. I. quasi in fine.

(2) Dicitur *puro*: excipitur enim Christus, qui fuit viator et comprehensor.

(3) Exod. XXXIII.

corpore mortali versamur, essentiam divinam natura-
liter videre non possumus (1).

Quod vero naturaliter fieri non potest, hoc in casu
fieri potest miraculose, supernaturatiter et praeter com-
munem ordinem (2), in raptu nempe, non per species
sensibiles vel intelligibiles, sed immediate facie ad fa-
ciem, per lumen gloriae transeunter communicatum,
sicut contigit Moysi et Paulo; »et hoc satis congruen-
ter: nam sicut Moyses fuit primus doctor Iudaeorum,
ita Paulus fuit primus doctor gentium (3)“ Quod antem
contigit Moysi et Paulo congruenter, ipsi Mariae con-
tigisset non congruenter? Immo vero, sicut ex Ange-
lico supra, amor quaerit unionem, maior amor intimi-

(1). Cf. I. qu. XII. a 11.

Et heic iterum atque iterum falluntur vel maxime ontologistae,
distinguentes inter essentiam divinam et substantiam vel attributa
vel esse divinum, cum illa in Deo realiter non distinguantur: et
ideo qui videt substantiam vel attributa vel esse divinum, neces-
sario et ipsam essentiam videt. Cf. I. qu. III. artt. 3. 4. 6. 7.
Distinguunt alii inter visionem claram et obscuram, et hoc nullo
solido fundamento, ut iam notavit Angelicus: „In hoc unaquae-
que rationalis creatura beata est, quod essentiam Dei videt, non
ex eo quod ita *limpide* vel plus vel minus eam videt. Non igi-
tur visio beati a visione viatoris distinguiter per hoc quod est
perfectius et minus perfecte videre, sed per hoc quod est videre
et non videre.“ QQ. dd. de Ver. qu. XVIII. a. 1.

(2) I. qu. XII. a. 2. ad 2.

(3) 2. 2. qu. CLXXV. a. 3. ad 1.

orem unionem quaerit et efficit. Amorem Dei erga B. Virginem infinitum fuisse ob concessam maternitatem, qua dignitate maior dari non potest, supra vidimus: quae ergo concessa sunt Moysi et Paulo Doctoribus, *Deiparae*, prae cunctis ineffabiliter electae atque dilectae, omnino negabimus? Quid miri si Deus contemplandam dederit essentiam suam praelectae Virgini, cuius et ex qua naturam veram dignatus est assumere? Tantae Virgini, quae Deum continuo prae omnibus novit, aestuantius amavit, numquam, neque ad breve tempus, Deum excellentius videre licuit? In omnibus naturae et gratiae muneribus Filio simillima erat purissima mater, Filius a primo conceptionis momento secundum assumptam naturam exstitit comprehensor: in hoc quoque prae caeteris similior censeri potest Mater Virginea. Nec ita alienum censemus, si, quod animae Filii indesinenter impertitum est, id menti purissimae atque sanctissimae matris aut semel aut iterum concessum quis asserat.

»Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo." In exaltatione hac, inquit B. Albertus Magnus, non solum Dei essentiam vidit, sed etiam in ea cernenda et intuenda tantam perspicuitatem, et tam vehementem luminis splendorem habuit Deipara, ut, non sicut Paulus, sed multo perfectiori modo Deum conspexerit. Paulus stupefactus, ita procedit B. Albertus, nesciens

utrum in corpore an extra corpus Deum viderit :
Deipara vero absque ullo stupore et cum maxima delectatione, iucunditate atque dulcedine : *et exultavit.*
Sicut puritate et sanctitate B. V. tum Moysen tum Paulum superavit, sic et lumine, sub quo Deum vidisse creditur, eos superasse censenda videtur.

Sed ad visionem beatificam, non iam per actum transeuntem, sed permanentem ei concessam, procedendum est.

ARTICULUS TERTIUS.

*Imago Dei et SS. Trinitatis in B. Virgine Maria in
Visione Beatifica et Fruitione Verbi.*

Assumptionem Deiparae in coelum et gloriam quis enarrabit? Ascendent Christo egressa est obviam omnis beatorum spirituum gloriosa societas; adiunxit occurribus Angelis quas secum duxerat animas electorum, et ita triumphali pompa ad summum coelorum conductus sedet ad dexteram Patris. At, salva dignitate Filii, splendidior est Matris assumptio; occurunt Angeli Filio, Matri vero ipse Dei Filius toto tum Angelorum tum sanctorum curia stipatus solemniter occurrans, illam ad tronum Dei usque evehit, supra omnes Angelos et sanctos, omnium Reginam. Sublimis profecto ille dies et splendidiore sole resplendens, in qua Virgo regalis ad ipsius Trinitatis sedem usque assumpta est, in cuius fulgoris divini admiratione natura Angelica obstupescit. Stat illa a dextris Dei, Domina vir-

tutum, in vestitu deaurato, circumdata varietate, omnibus virtutibus distincta, gloria maiestatis ex Filio resplidente undique perfusa. Vere fecit Deus Mariae magna, qui potens est. Quis gloriam Deiparae enarrabit, divina potentia et sapientia dispositam? Cone-
murm tamen pro viribus ex doctrina Angelici ideam quantumvis imperfectam immensae illius gloriae eruere. Principiis Magistri insistentes hic noster erit procedendi modus: ex gratiarum abundantia metiemur Deiparae charitatem; ex charitate Dei videndi desiderium; ex desiderio lumen gloriae, ex lumine gloriae deiformitatem, et tandem ex hac Dei et SS. Trinitatis imaginis eminentiam stabiliemus.

Etsi omnino videatur dicendum, gratiam a charitate non nomine tantum, non solum virtualiter, sed vere et realiter distingui, cum charitas gratiam, sicut virtus naturam supponat, (1) nihilominus tenendum est, easdem et gratiae et charitati tribui effectus, quippe quae inter sese connexae sunt et ex natura sua non possunt separari. Idem sacer textus, qui habet: »Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei,» habet quoque: »videte quam charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus»; textus, qui dicit: »charitas

(1) 1. 2. qu. CX. a. 3.

Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum , qui datus est nobis , ” etiam dicit : »dimittantur ei peccata multa , quia dilexit multum . ” Et cum intime inter se connexae sint gratia et charitas , quia gratia est charitatis principium et radix , (1) una ab altera stabilitur , completur . Gratiarum copiam in B. Virginem et charitatem promanantem vidimus , quale inde desiderium Deum videndi , facillime eruitur .

Non ex morbo corporali non ex senectute , vi amoris et ardentissimi desiderii , et intensissimae contemplationis , ipsam obiisse credimus . »Amor quaerit unionem . ” (2) Ex amore vehementissimo vehementissimum desiderium . Ex tanta amore singultibus et suspiriis gemitibus inenarrabilibus spiritus eius coelestes illos spiritus interpellasse nobis videtur : *Adiuro vos , filiae Jerusalem , si inveneritis dilectum , ut annuntietis mihi , quia amore langueo , quia deficio p[re]a[m]ore , quia tota amore langueo , mitigate flamas , obsecro , temperate incendium , fulcite me floribus , stipate me malis quia amore langueo . ”* Amoris vi ex desiderio Deo fruendi animam ipsius sanctissimam , totam charitate in delectum transformatam , summa animi gestientis vo-

(1) Ibid , ad 3.

(2) 1. 2. qu. XXVIII. artt. 1 et 2.

luptate corpore fuisse solutam, S.S. Patrum et Theologorum sententia est. (1)

Quo desiderium maius (diximus supra), eo maius lumen gloriae, maior Dei imago seu deiformitas. Quid lumen gloriae? Est virtus quaedam supernaturalis, a Deo in intellectum derivata, ratione cuius fit capax eliciendi visionem beatificam et ad unionem divinam

(1) *Ex desiderio Deo fruendi.* Suspicari quis posset, hic latere quid imperfecti, arbitrari posset, desiderium beatitudinis, fruendi Deo amorem concupiscentiae potius quam puram charitatem includere. Id timuere quidam, ubi non erat timor. Doceat nos, a quo iam toties edocti sumus, Angelicus: „Quaelibet amicitia concupiscentiam seu desiderium includit et aliquid super eam addit”. III. Sent. Dist. 27. qu. 2. a. 1. ad 1. Dein: „amicorum est, quod quaerant invicem perfrui; sed nihil aliud est merces nostra quam perfrui Deo, videndo Ipsum. Ergo charitas non solum non excludit, sed etiam facit oculum habere ad mercedem”. Ibid. Dist. 29. qu. 1. a. 4. Magis urget: 2. 2. qu. XXVI. a. 13. ad 3: „Dato per impossibile, quod Deus non esset summum hominis bonum, non esset ei ratio diligendi”. Porro ibid a. 3. ad 2: „nec inde sequitur, etsi Deum ut bonum nostrum amemus, bonum illud a nobis referri ad nos; econverso nosmetipsos ad summum illud bonum referimus, sicut pars se refert ad totum”. Immo, licet desiderium fruendi Deo per se pertineat ad amorem concupiscentiae, „magis tamen Deum amamus amore amicitiae, quia maius est in se bonum Dei, quam bonum, quod participare possumus fruendo Ipso”. Ibid. ad 3. Non sunt ergo duo amores oppositi, sed intime connexi, quorum unus ex alio profluit, unus alterius exemplar et finis est. Ita Magister noster, quem si omnes sequerentur, nullae forent, ex sententia cardinalis Cazanata, in Theologia Dogmatica haereses, nulla in Morali relaxatio, nulla in Mystica deceptio. Confidenter ergo dicamus; „O, sancta Sion, ubi totum stat et nihil fluit, quis nos in ista (in has miseras) praecipitavit”? D. Aug. in ps. CXXXVI.

proxime disponitur. De eo scriptum est: (1) »Claritas Dei illuminavit eam.” »Lumen (illud) intellectum in quadam deiformitate constituit.” (2) »Secundum hoc lumen efficiuntur deiformes, idest Deo similes, iuxta illud: *cum apparuerit similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est.*” (3) »Per lumen illud creatura rationabilis fit deiformis.” (4)

Beatissimam autem Virginem quam maxime participasse de hoc lumine, ex eo liquet, quia maximam habuit charitatem et Deum videndi desiderium.

»Plus participat de lumine gloriae, qui plus habet de charitate, quia ubi est maior charitas, ibi est maius desiderium, et desiderium quodammodo facit desiderantem aptum et paratum ad susceptionem desiderati. (5)

Hinc praeclarior in illa praeceteris deiformitas, quae ex unione immediata intellectus cum divina essentia vi illius luminis magis et mirifice resplendet. (6) *Immedia-*

(1) Apoc. XXI. 23.

(2) I. qu. XII. a. 6.

(3) Ibid. a. 5.

(4) Ibid. ad 3.

(5) Ibid. a. 6.

(6) Dum dicimus: deiformitatem ex immediata unione intellectus cum divina essentia magis resplendere, intelligimus, ut patet, essentiam divinam ab intellectu immediate *videri*. Est enim divina essentia per se intime praesens intellectui (I. qu. VII. a. 3.). Quod intellectus noster eam non videat, ex eo est, quia non est dispositus nec applicatus ad illam videndam (I. qu. XII. a. 4.)

ta inquam: »Similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est». »Sicuti est», ait Angelicus, (1) »non sicuti facit, ut modo videmus cum Deum non secundum effectum cognoscimus, et ei similes modo non sumus, sed tunc erimus, cum in speculum animae quasi propriam speciem projiciet et in intellectum secundum essentiam cadet.” Dein essentia divina est ipsum Dei esse (2) »aliquid incircumscripsum, continens in se supereminenter quidquid potest significari vel intelligi ab intellectu creato.” (3) Ergo in quacumque similitudine creata videatur, videri *sicuti est* non protest. *Unio immediata*, non confusio quaedam finiti cum infinito, non creati cum increato permixtio: intellectus Deo similis redditur non infinito sed finito modo, quia nec modo infinito unitur; et inde illa deiformitas et imago, de qua diximus, quae ex eo magis elucet, quia beati in patria, (ut videtur ex mente Angelici) non producunt verbum mentis, in quo essentiam divinam contemplantur; haec ipsa, ab aeterno intellecta et beatorum intellectibus unita, videtur supplere. (4) Est namque visio immediata, *facie ad faciem*; et sicuti similitudo creata divinam essentiam in se repraesentare nequit (vidimus modo),

(1) Opusc LIV. Edit. Parm.

(2) I. qu. III. a. 4.

(3) I. qu. XII. a. 2.

(4) I. qu. XII. a. 2. ad 3.

ita nec verbum mentis productum; Verbum aeternum tantummodo eam digne et in se exprimit. Nec heic illa, de qua diximus infiniti cum finito permixtio: connaturaliter absque dubio et generatim in visione intellectuali verbum mentis producitur; (1) de ratione tamen ipsius proprie non est, cum sit actus *immanens* qui est propter perfectionem subiecti, in quo manet et impediri in casu videtur, quasi consumi, suppleri per Verbum aeternum in visione beatifica. Simili quodam modo ac impedita, quasi consumpta, suppleta est personalitas humana per divinam in mysterio Incarnationis, quin natura humana Christi cum persona Verbi permixta fuerit; et ita essentia divina verbi producendi est quodammodo vicesgerens. (2)

Si ea est unio inter Deum et quoscumque beatos, si tantus inde in illis splendor et fulgida Divinitatis imago,

(1) I. qu. XXVII. a. I.

(2) Nemo non videt, secundum hic dicta verbum mentis non esse ipsum *intelligere*, sed ab ipso distingui sicut terminus actionis ab ipsa actione. Intelligere, cum sit actus vitalis, immo vita beata beatorum, dici nequit suppleri per essentiam divinam, nisi admittatur infiniti cum finito permixtio, terminus autem intellectionis, seu verbum mentis, quod communiter duo importat: 1o. ab intellectu expressum, 2o. actu intellectum, sub ultimo respectu absque periculo confusionis suppletur per essentiam divinam, quae „unitur intellectui creato ut intellectum in actus hper seipsum faciens intellectum in actu“. I. qu. XII. a. 2. ad. 3.

mensura quippe cognitionis est mensura imaginis, (1) iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum" (2), quid de B. V. censendum, in qua summa prae caeteris divini luminis, quod est deiformitatis fons et radix, (3) fulget abundantia. Tanta luminis abundantia, ut Deum *comprehendat*? Minime. Deiformitatem stabilimus et quam maxime in Deipara, pantheismum in Deipara quoque reiicimus. Id comprehenditur, quod perfecte cognoscitur, idest in quantum cognoscibile est. Quum autem essentia divina sit esse infinitum, et ideo infinite cognoscibilis, intellectus quicunque creatus, nequidem ipsius sanctissimae Virginis ad illud potest pertingere. Lumen quoque gloriae necessario finitum est, et in intellectu finito recipitur. Quantumvis Deus nec a B. V. ita perfecte videatur, uti visibilis est, totus intellectus toti Deo unitur, non infinito sed finito modo; id quod intellectui non repugnat, sed eum ineffabiliter delectat.

Et haec doctrinae Angelici consonant: »Visio illa, qua Deum per essentiam videbimus, est eadem cum visione, qua Deus se videt, ex parte eius, quo videtur: quia sicut ipse se videt per essentiam suam, ita et nos videbimus eam." (4) Ex parte eius quo videtur, in-

(1) I. qu, XCIII. a. 3 ad. 2.

(2) Matth. XIII. 43.

(3) I. qu. XII. a. 6.

(4) Suppl. qu. XCII, a. 1 ad. 2.

quit S. Doctor, et subiungit immediate: »ex parte cognoscentis invenitur diversitas, quae est inter intellectum divinum et nostrum.” Contemplantur beati Deum et hoc ipso personas divinas contemplantur; eadem ratione qua Deo, et personis quoque eorum intellectus immediate unitur. »Summa bonitas Dei hic in via per effectus potest intelligi, absque Trinitate personarum; sed secundum quod in seipso videtur, prout videtur a beatis, sine Trinitate intelligi nequit.” (1) Intuentur immediate essentiam ut in se subsistentem; intuentur omnia, quae ipsi essentialiter convenient. Convenit ipsi essentialiter quod sit faecunda, communicetur per emanationem Verbi et productionem Spiritus Sancti. Eadem luce, sub qua resulget imago Dei, resulget et S.S. Trinitatis, in B. Virgine quidem per eminentiam.

Splendet in ea praeterea potentia Patris,-scientia Filii,-amor Spiritus Sancti. *Potentia Patris.* Iure merito dicta fuit a S. Bernardo Deipara: »omnipotentia supplex,” quae constituta fuit super universam terram. *Scientia Verbi.* Quo intensior visionis gradus, eo extensior ex visione scientia, (2) eo plura in Verbo, omnium expressivo, (3) deteguntur futura et possibilia. Porro ea vident beati ex Theologorum sententia, quae

(1) 2. 2. qu. II. a. 2 ad. 3.

(1) Cf. qu. XII. a. 6.

(2) I. qu. XXXIV. a 3.

ad suum statum pertinent. Ad eminentissimum autem Mariae statum, quae est praeципuum praedestinationis in executione instrumentum, quae gratiarum et donorum omnium, omnibus et singulis hominibus, ex S.S. Patribus, est aquae ductus, omnium Domina, Regina mundi, quaenam non pertineant, meo quidem iudicio, periculose quis determinaret. *Amor Spiritus Sancti.* Visionem claram, beatificam, *facie ad faciem*, excipit amor necessarius, et perfectior: amor sequitur cognitionem praelucentem. Stante cognitione perfectiore, perfectior dilectio sit oportet. Ex toto charitatis impetu amavit in via Deum B. Virgo, et quisnam in gloria caelesti sit amoris gradus, miseris nobis mortaliibus intelligere datum non est. Eam in fornacem charitatis coniectam fuisse SS. Patres commemorant. Quid ultra de gloria eius caelesti dicemus? Adstat a dexteris Filii, attingens fines Divinitatis. Adstat proxima Deo, infinitae bonitati, summe sui ipsius diffusivae, communicativae; adstat aeterno Patri, generanti Filium, essentiam suam et attributa per generationem communicanti; adstat Patri et Filio, a quibus tamquam ab uno principio ex infinito amore procedit Spiritus Sanctus, eamdemque numero tenet essentiam, eadem numero attributa. Et sanctissima Virgo, toti Trinitati tam affinis, tantae bonitatis et amoris ita profusi omnino foret expers! Immo vero abundanter eis com-

municat, »quanto aliquid magis appropinquat principio, tanto magis participat effectum illius principii.” Quid ergo mirabimur si dilectissimam filiam, matrem et sponsam, in quam in vita supervenerat Spiritus Sanctus ad praeparandum et firmandum materiam corporis Christi; quae iam virtute Altissimi, i. e. Filio, qui est virtus Patris, fuerat obumbrata, ceu, in qua corpus humanitatis accepit incorporeum lumen Divinitatis: umbra enim a lumine formatur et corpore, (1) quid mirabimur, si eadem SS. Trinitas, ex natura sua summe communicativa, eam, in quantum naturae *creatæ* fert conditio, efformaverit maxime sibi similem. Unde merito applicatur Mariae: »Est speculum divinae maiestatis et imago bonitatis illius (2)” Vere speculum, in qua resplendet lumen maiestatis, vere imago, in qua summa Dei et infinita bonitas reluet. »*Hanc*, (Beatissimam Virginem) inquit Angelicus cum S. Bernardo, *hanc*, *Domine, fecisti imaginem bonitatis tuae.* (3)

Describens S. Doctor varios amoris gradus, supremum tandem in eo reponit quod amor amantem Deo assimilet. Magnifice cum Dionysio: »Angelus, inquit, (4) est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum

(1) 3. qu. XXXII. a. 1 ad. 1.

(2) Sap. VII. 26.

(3) Opusc. LIV. Edit. Parm.

(4) Ibid.

clarum, clarissimum, immaculatum, incoinquinatum, incontaminatum, totam, si conveniens est dicere, suscipiens in se pulchritudinem omniformis deiformitatis, munde resplendere faciens in se bonitatem silentii". Splendida profecta in Angelo, praecipue in seraphim, divina imago, in Beatissima autem Virgine splendidior. Fecit summus artifex, ita *Aquinas*, (1) in ostentationem artis suae speculum clarissimo clarius, seraphim tersius et tantae puritatis, ut purius intelligi non posset, nisi Deus esset, personam scilicet gloriosissimae Virginis."

Insuper in Maria Deus tamquam summus artifex magisterium pietatis suae ostendit. (2) Stat mirabiliter Filium Dei inter et summum seraphim persona gloriosissima Virginis, quae in cognoscendo et diligendo Deum omnium quidem creaturarum communitatem quasi infinite (3) excessit. Et ab hanc rationem speculum illud purissimum est, in quo divina bonitas quasi infinite prae omnibus sanctis et Angelis sicut facies in speculo resultat. Et quia bonitas divina infinite communicativa est, hinc et sanctissima Virgo summe communicativa. »Deus charitas est», et Maria est charitas. »Magnum est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod

(1) Ibid.

(2) Ibid.

(3) „Inaestimabiliter”, inquit *Ang.* ibid.

sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum, et hoc est in Christo. *et in B. Virgine.* Nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa. Unde Cant. IV. 4: *Mille clypei*, idest remedia contra pericula, *pendent ex ea.* Item in omni opere virtutis potes eam habere in adiutorium; et ideo ipsa ait: In me omnis spes vitae et virtutis, Eccl XXIV. 25'. (1) Deo proprium est misereri semper et parcere, et in hoc Deum vehementissime et singulariter imitatur, quia nihil ita Deo vicium Maria, nihil ita simile. Connaturalis est illi misericordia, quia Deo est connaturalis. »Pertinet ad misericordiam, quod aliis effundat, et, quod plus est, quod defectus aliorum sublevet, et hoc maxime superioris est; unde et misereri ponitur proprium Deo». (2) Modo singulari vicina Deo, in charitate et misericordia erga nos singulari modo Deo similis est Maria: sic Deipara dilexit mundum ut et Ipsa Filium suum unigenitum daret.

Et haec sufficient; neque enim ipsius excellentiam et deiformitatem, ingenue fatemur, iuxta doctrinam Angelici condigne praedicare possumus.

(1) In Salut. Angel.

(2) 2. 2. qu. XXX, a. 4.

Pro viribus, Dilectissima Mater! non pro rerum dignitate, scripsimus, non quo par est orationis cultu et ornatu. Ex mente nostri Doctoris, Tibi ab incunabilis devotissimi, imaginem Dei et SS. Trinitatis in Te a primo conceptionis instanti et dein magis magisque summa claritate vidimus resultantem. Tu es, ex Praeceptoris nostri expressis verbis, divinae artis ostentatio, speculum clarissimo clarius, seraphim tersius et purius, tantae puritatis, ut, nisi Deus esset, purius intelligi non posset. In Te Deus, tamquam summus artifex, magisterium Suae pietatis ostendit, quae iam in vita fuisti totius Trinitatis nobile triclinium. (1) In tantum jam habebas de gratia, quod sufficeret ad salutem omnium hominum, simili modo ac Christus. (2) Mirabili circumfusa luce, inter Filium Dei et summum ex ordine seraphim stas media, hunc quidem vel maxime excedens, quae omnes creaturas amore Dei vel maxime superasti, et modo omnes quascumque coelestes ordines lumine gloriae mirabiliter excedis et deiformitate. »Tu es candor lucis aeternae et speculum sine macula», speculum

(1) In **Salut. Angel.**

(2) **Ibid.**

purissimum in quo divina bonitas modo quasi infinito
prae omnibus Sanetis et Angelis, sicut facies in speculo
refulget, in bonitate, in misericordia Deo similis. Et
ego »si oblitus fuero Tui, Sanctissima Virgo! oblivioni
detur dextera mea, adhaereat lingua mea faucibus meis
si non meminero Tui, si non proposuero Te in principio
laetitiae meae!»

INDEX.

DEDICATIO.

CAPUT PRIMUM. ART. UNICUS. *Essentia divina
in omnibus creaturis repraesentata pag. 10.*

Philosophia et Theologia sunt sibi valde affines. —

Notia Dei et creaturae. — Creatio. — Omnis creatura suo modo essentiam divinam imitatur, repraesentat. — Imago Dei et S.S. Trinitatis in homine. — Imperfeta tamen et varia pro varia hominum conditione.

CAPUT SECUNDUM. ART. I. *Imago Dei et S.S.*

*Trinitatis in Beatissima Virgine Maria ante
Incarnationem Verbi pag. 24.*

Primaeva primi hominis conditio, lapsus et sequela.

— Nova in Maria resurgit imago, splendida quidem, quia summa in ea puritas, — quia Maria in natura etiam erat perfecta, — quia maxima

in ea gratia ex eminentissimo, ad quem destinata erat, fine, — quia ferventissima in illa charitas.

ART. II. *Imago Dei et S.S. Trinitatis in Beatisimma Virgine Maria post Incarnationem Verbi.* pag. 37.

Quo in B. V. gratiae plenitudo sublimior, eo stabilior charitas. — Solvit obiectio, quomodo fieri potuerit, quod Maria, quae iam gratia *plena* fuit ante Incarnationem Verbi, plenior fiat post Incarnationem Verbi. — Gratiae et perfectiones Mariae admetiendae sunt ad eius maternitatem. — Gratiarum fons in Maria ex summa cum Filio Dei propinquitate. — Deseribitur haec propinquitas. — Nobilitas divina in Virgine ex ordine hypostatico. — Deiformitas ex infusa cognitione et charitate mirabilis. — An dici potest probabiliter B. Virginem semel aut iterum et ad breve tempus visione beatifica fuisse perfrutam, et hinc in ipsa vivente gloriosam ad breve tempus fuisse Dei imaginem? — Quid hac de re senserit Albertus Magnus.

ART. III. *Imago Dei et S.S. Trinitatis in Beatissima Virgine Maria in Visione Beatifica et fruitione Verbi* pag. 48.

Assumptio B. M. V. — Illius gloria in coelo describi nequit. — Juxta principia D. Thomae ex gratia charitas, ex charitate desiderium Dei videndi, ex hoc lumen gloriae, ex lumine gloriae imago et deiformitas deducitur. — Ex tanta tamen prae-

caeteris in Maria gratiae , charitatis , desiderii ,
luminis abundantia minime sequitur , quod Deum
comprehendat . — Splendet in ea nihilominus per
eminentiam imago S.S. Trinitatis . — Lucet dein
in illa potentia Patris , — scientia Filii , — amor
Spiritus Sancti . — Adstat proxime Deo , infinitae
bonitati , summe sui ipsius communicative et dif-
fusivae , et hinc maxime illi facta est similis in
bonitate , charitate et misericordia . — Laudes in
B. V. Mariam , desumptae ex Verbis Doctoris
Angelici .

